

05 A 450


05

A

450









EXERCITATIO THEOLOGICA  
SECUNDA

De

PRÆDESTINA-

TIONE, AC ELECTIONE

FIDELIUM IN GENERE: Nec non

De

Convenientiâ Calvinistarum

supralapsariorum, & infralapsariorum,

*Sub DEI Prædestinantis auspiciò,*

*In Wittebergensium Academiâ,*

Johanni Crocio cumprimis;

tum aliis quoq; Calvinianis opposita,

*ad disputandum publicè proposita,*

PRÆSIDE

DN. JOHANNES SCHARFIO,

SS. Theol. D. Prof. Publ. amplissimiq; Collegii  
Philosoph. p. t. DECANO Spectabili,

*Respondente*

M. JOHANNES Krüger / Rigâ-Livonô.

*In auditorio Collegij Veteris.*

*ad diem 1. Martij horis matutinis.*

---

Literis JOHANNIS HAKEN, M. DC. XLIIIX.



*Admodum Reverendis, Clarissimis, Consultissimis,  
Spectatissimisq; VIRIS*

Dn. M. JOHANNI DOLMANNO, Pastori Rigensium  
primario, nec non SS. Theolog. Professore celeberrimo,  
Patrono, Fautori, ac Præceptori suo ætatem  
venerando.

Dn. M. SCHOTTONI CALEN, Templi Cathedralis Pa-  
stori vigilantissimo, Patrono itidem ac Fautori  
suo colendo.

Dn. JACOBO Karstens } Senatoribus Reipub.

Dn. CHRISTOPHORO Rigeman/ } patriæ prudētissimis.

Dn. JOHANNI Krüger/ }  
parenti suo charissimo.

Dn. EBERHARDO Karstens/ }

Dn. JOHANNI Fuhrman/ }

Dn. JOHANNI Hilbold/ }

Dn. JOHANNI Schwarz/ }

Dn. PAULO }

& Krüger/ }

Dn. THOMÆ }

Mercatoribus  
Primariis.

*Dnm. Patronis, Fautoribus, Affinibus, Agnatis & Frat-  
ribus dilectis. Hoc Exercitium theologicum, debita  
gratitudinis & observantia ergo*

*offert, & inscribit*

*M. Johan. Krüger/ Resp.*



05 A 450





## EXERCITATIO SECUNDA.

De

### PRÆDESTINATIONE, AC ELECTIO- NE FIDELIUM IN GENERE, NEC NON

De

### CONVENIENTIA CALVINISTARUM SUPRALAPSARIORUM, ET INFRALAPSA- RIORUM.

**D**E Præscientiâ Dei circa electos & Prædestinatos, ut & de reliquis terminis in doctrinâ Prædestinationis occurrentibus, in priori dissertatione actum est, cæpimus quoq; ea discutere, quæ de *Prædestinationis Vocabulo* disputari solent, præcipuè id exquirentes, num ea de malis quoq; intelligenda sit. Quam controversiam ut porrò versemus, atq; dilucidemus, Johannis Crocii, Calvinistæ Bremensis, insolentia facit, qui causam Calvinistarum de Prædestinatione malorum ita perorare conatur, ut calumniosum proclamet id omne, quicquid hac in causâ criminis, sive erroris, sive vitij, ipsis imponitur. De eò igitur hac vice dispiciemus, tum de Electionis voce quædam præoccupabimus.

THESES. I. Scripserat D. Balthasar Menzerus in utrâq; Hassorum Academiâ, Marpurgensi pariter & Giessensi, olim Professor celebratissimus, & de Ecclesiâ Christi meritissimus: is, inquam, in Exegesi August. Confess. Articuli. I. De Deo, ejusq; bonitate, & sanctitate scripserat, Calvinistas vel obliquè saltem tollere Infinitam Dei bonitatem atq; justitiam, eò quod doceant in genere, *Deum absolutè & simpliciter ab æterno pro liberrimâ suâ voluntate, causas omnes antegrediente, quosdam homines prædestinasse, non solum*  
ad damna.



*ad damnationem, sed ad ipsum quod peccatum.* Quam in rem cita-  
tur Calvinus institut. l. 3. cap. 21. sect. 7. Beza in quæst. & respons.  
pag. 697. colloq. Mompelgart. pag. 517. Rennecher & Spindler  
passim, Piscator de prædest. thes. 79. &c. Vides, inquit, modò  
laudatus Menzerus, negatam saltem vel obliquè infinitam illam  
Dei bonitatem & justitiam. Quod horrendum dogma Calvi-  
niani Patres Synodi Nationalis Dordrechtanæ in Hollandiâ cele-  
bratæ Anno 1613. in suo judicio dicunt se detestari. Quod ar-  
gumentum latè persequitur, tractatq; in Anti-Crocio disputat. IV.  
ac solidè propugnat in responsione ad defensionem secundæ partis  
conversationis prutenicæ D. Johannis Crocij profess. Marpurg.  
Cap. VII. ibiq; prolixè adducit loca, quibus asstruit crimen il-  
lud Calvinianis intentatum.

THESES. II. Quid ad hæc Crocius Calvinista? Indignatur  
ille vehementer, tumultuatur, & furiosè occlamat, *calumnia, ca-  
lumnia, pudendum mendacium.* Cujus tantum abest, ut pudeat  
hominem, ut potius passim repetat, & iterum iterumq; ingemi-  
net: *Ego, inquit, in defensione secundæ partis prutenicæ Conver-  
sat. Cap. 8. calumniam voco, & pudendum mendacium pag. 516. Nego  
apud Authores, quos laudat, locis citatis verba ista exstare, & addit:  
deprecabor, quàm primum Menzerus probaverit affirmativam. Age,  
igitur audiamus causam.* D. Menzerus apertâ fronte aggreditur  
opus, & ordine demonstrat ex publicis documentis, quod de Cal-  
vinistis pronunciaverat, *ut veritati detur testimonium, & os obstru-  
atur maledicentibus, subibo, inquit Menzerus, laborem describendi di-  
cta Authorum, quæ Crocius locis citatis exstare negat.* Primò Calvinus  
l. 3. institut. Cap. 21. sect. 7. Sic loquitur: *Quanquam satis jam li-  
quet, Deum occulto consilio liberè, quos vult elegisse, alijs re-  
jectis, nondum tamen nisi dimidiâ ex parte exposita est gratuita  
ejus electio, donec ad singulas personas ventum fuerit. Et postea:  
Quod ergo Scriptura clarè ostendit, dicimus æternò & immuta-  
bili consilio Deum semel constituisse, quos olim semel assumere  
vellet in salutem, quos rursus exitio devovere. Et seqq. Cap. 23.  
§. 1. Quos Deus præterit, reprobat. Item: Atq; nunc audivi-  
mus, indurationem non minus in manu Dei atq; arbitrio esse,  
quam*

Calvinus.



quam misericordiam. *Iterum*: minimè consentaneum est, præparationem ad interitum aliò transferre, quàm ad arcanum Dei consilium. Deinde: sequitur absconditum Dei consilium indurationis esse causam. *Sect. 4.* Fateor sanè, *inquit Calvinus*, in hanc, quàm nunc illigati sunt, conditionis miseriam, Dei voluntate decidisse universos filios Adam. *Sect. 7.* Decretum quidem horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideo præsciverit, quia decreto suò sic ordinarat. *Et distinct. 8.* Cur permitttere dicemus, nisi quia ita vult? Quanquam nec ipsū quidem per se probabile est, solà Dei permissione, nullà ordinatione hominem sibi accersisse interitum. Quasi verò non constituerit Deus, quàm conditione præcipuam partem ex creaturis rejectam esse vellet. Non dubitabo igitur cum Augustinò simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atq; id necessario futurum esse, quòd ille voluerit: quemadmodum illa vera sunt, quæ præviderit. Deniq;: Cadit homo Dei providentiâ sic ordinantè, sed suò vitiò cadit. *Distinct. 9.* Æternâ Dei providentiâ in eam, cui subjacet, calamitatem conditus est homo *Cap. 24. dist. 12.* Quos ergo in vitæ contumeliam, & mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent, & severitatis exempla, eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat & obstupescit. *Paulò post:* Prædestinationi suæ viam facit summus ille arbiter, ubi quæ semel reprobavit, lucis suæ communicatione orbatos deserit in cæcitate. *Distinct. 13.* Istud quidem in quæstionem trahi non potest, multis verbum suum Dominum mittere, quorum cæcitatem magis velit aggravari. Et iterum: Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant: lucem accendit, sed ut reddantur cæciores: doctrinam, profert, sed ut magis obstupescant: remedium adhibet, sed ne sanentur. Atq; hanc prophetiam adducens Johannes, Judæos Christi doctrinæ non potuisse credere asserit, quia in eos incumberet hæc Dei maledictio. Neq; hoc quoq; controverti potest, quos Deus illuminatos non vult, illis doctrinam suam ænigmatibus involutam tradere, ne quid inde proficiant, nisi ut



in majorem hebetudinem traſantur. *Diſtinct. 14.* Quod igitur ſibi patefacto Dei verbo non obtemperant improbi, probè id in malitiam pravitatemq; cordis eorum rejicietur, modò ſimul adjiciatur, ideò in hanc pravitatem addictos, quia juſtò, ſed inſcrutabili Dei judiciò ſuſcitati ſunt, ad gloriam ejus ſuà damnatione illuſtrandam. Similiter cum de filijs Heli narratur, quod non auſcultaſunt ſalutaribus monitis, quia voluerit Dominus occidere eos: non negat contumaciam à proprià ipſorum nequitià patefactam eſſe: Verum ſimul notatur, cur in contumacià deſerti fuerint, quum potuerit eorum corda Dominus emollire: quia ſcil. eos ſemel exitio *deſtinaret* immutabile ejus decretum. Hactenus Calvinus.

*1121.*

THEſ. III. Secundò citatus eſt à me Beza in *queſt. & reſponſ. pag. 607. & colloq. Mompelgart. pag. 517.* Negat Crocius verba iſta ibi exſtare R. Verba ita habent in *Reſponſ. ad colloq. Mompelg. pag. 517. edition. Tubing. Anno 1587. dogmate 3. & 5.* Paulum ipſum oppugnatis hoc dogmate. *Rom. IX. v. 11.* Tam enim falſum eſt, incredulitatem eſſe cauſam divini hujus decreti de juſtè perdendis aliquibus, quàm falſum eſt, præviſam fidem vel bona opera cauſam eſſe prædeſtinationis vel electorum &c. In *queſt. & Reſponſ. pag. 687. in volumine tractat. Theolog. edit. Anno 1576. apud Euſtarchium Vignon. ad queſtionem.*: Quoniam vero medias cauſas ſæpè à decretò illas ordinante diſtinxisti, vellem etiam, eas utrinq; recenseri? *Reſpondetur inter cætera.*: Dominus prout ab æternò decrevit modò hos, modò illos eductos homines, ſic ad illos decretos fines, utrinq; glorificandus, deducit, ut eos, in quorum ſalute vult gloriam ſuam patefacere, partim ad vitam æternam ſtatim transferat, in ſuò fædere gratis comprehenſos, partim ſi vult diutius in hac vitâ verſari, quò libuit tempore, modò ſerius; modò citius, efficaci verbo Evangelij vocatos Chriſto inferat, in quò juſtificatos & ſanctificatos tandem æternâ ſalute donat, cæteros verò juſtæ ſuæ ultioni deſtinatos (cui enim debitor eſt?) vel ſtatim prodit, vel patienter exſpectans, ut ſuæ bonitatis non ſint expertes, aut non dignatur ullâ vocatione, aut hactenus vocat, ut eò magis ſint *ἀναπολόγητοι*. Hactenus Beza.

THEſ. IV.



THESES. IV. Tertiò citatus à me fuit Piscator *de prædest. Thes. 79. &c.* Crocius haberi ibi negat. Respondetur. Piscator proponit *Piscator.*  
*in thes. 79. argum. D. Schaffmanni: ad quod respondet thes. 80. & inter cetera sic scribit: At decrevit quidem Deus permittere, ut homo peccaret, sed non simpliciter & per se, quasi peccatò delectaretur: Sed ut inde occasionem sumeret exercendæ in Genus humanum justitiæ; tum misericordiæ suæ, atq; ita patefaciendæ suæ gloriæ. Item: decrevit quidem Deus occultâ (quoad notitiam singulorum Individuorum) voluntate perdere non nullos; at non simpliciter & per se, sed propter peccatum. Interim tamen, si non executionem decreti, sed decretum ipsum spectes, illud simplex & absolutum est, quippe non aliunde, nisi ab ipsò Dei beneplacitò pendens. Sic ibi Piscator, & in thesi 76. Interdum, inquit, verbò significat, nempe Deus (idq; absq; mendacio & hypocrisi pro summâ suâ agendi libertate) se velle, quod revera non vult, aut nolle, quod revera vult. Et thes. 24. In unò creavit omnes, non unò fine: sed alios quidem præparavit ad gloriam, alios vero augmentavit ad interitum. Et thes. 27. Tales condidit ut laborarent. Plura si cupiat Crocius ejus furfuris emblemata Calviniana, apponi possunt magnò numerò. Meditetur nunc ipse secum, quâ conscientia, quâ fronte, quâ manu ingeminaverit, cantiunculam suam: *Calumnia, calumnia, putidum mendacium: dicta citatis locis non exstant &c.* Excipit, non ita docere omnes Calvinianos *in genere & simpliciter.* Imò inquam Ego, omnes Calviniani in genere, promiscuè & indifferenter, defendunt absolutum Prædestinationis decretum, etiam illi, qui affuere Synodo Dordrechtanæ, ut patet ex actis Synodralibus in recitatione Votorum. Duo fratres Crocij, si singulares hîc esse volent, hæcenus à Calvinianis descivisse censendi erunt, non autem efficient, ut communis sententia Calvinianorum non sit, quam omnes promiscuè defendunt. Hæc Menzerus dicto loco.*

THESES. V. Quæ omnia cum manifesta satis sint, agnoscat oportet Crocius crimen suæ calumniæ, & deprecetur, uti sponsionem ipsemet fecerat. Vanissima omnia sunt, quæ præcipitanter eggerit. Calvinistas tradere ejusmodi dogmata de absolutò prædestina-  
*Error Calvinistarum*



*de præde-* destinationis decretò , non audeat Crocius simpliciter inficiari ,  
*stinatione* causatur tamen , eos non ita docere *in genere , non simpliciter , non*  
*malorum.* *in citatis locis.* Hic ergo primò omnium præoccupandum est  
 $\tau\omicron\omicron\pi$  , quod doceant Calvinistæ , *Deum ad peccata homines præde-*  
*stinare.* Hoc caput causæ est , & primum controversiæ nostræ  
punctum , quod in præcedentià dissertatione præfere capimus. Di-  
rectè velim respondeat , & categoricè eloquatur Crocius , *num id*  
*concedat.* Si ait , habemus reum confitentem . Si non : quid opus  
est tergiversatione ? cur latebras quærit in oculis , *in genere , non*  
*simpliciter , non in citatis locis.* In integro Calvinianæ sectæ Syste-  
mate indifferenter ac promiscuè id docent , absoluti decreti repro-  
bationis conditores & assertores. Recognoscat modò verba & de-  
creta Calvini scribentis : *Primos homines , & universos filios Adæ de-*  
*cidisse ex Dei voluntate , providentiâ Dei sic ordinante , quia sic expedire*  
*consuevit , decretò suo sic ordinaverat :* Unde consilium Dei abscon-  
ditum sit causa indurationis , & ideò homines facultate audiendi  
verbi divini nunc privari , nunc magis excæcari ejus prædicatione ,  
& ea omnia fiant ex solò Dei beneplacitò & immutabili decreto ,  
redeundum semper esse ad solum divinæ voluntatis arbitrium , cu-  
jus causa in ipso sit abscondita. *lib. 3. instit. Cap. 13. §. 8.* Dei vo-  
luntatem esse rerum omnium necessitatem . §. 9. peccandi necessi-  
tatem injici reprobis ex ordinatione Dei. Recognoscat conten-  
tionem Bezæ adversus D. Jacobum Andræ de lapsu Adæ in Re-  
spons. 2. ad acta colloquij Mompelgart. ejusq; verba , quibus non  
asserit modò , sed & propugnare conatur : *Deum lapsum Adæ non*  
*tantum præscivisse , sed etiam in suo beneplacitò prædestinasse , nihilq; à*  
*Deo præsciri , nihil fieri , quod non quodq; decreverit , ut fieret , adeoq; e-*  
*tiam in malis & peccatis , quæ fiunt , tria ista conjungenda esse ;*  
*eternam Dei præscientiam , voluntatem beneplaciti , & immutabile*  
*decretum.* Recognoscat verba Piscatoris : *Deum istò consiliò con-*  
*didisse homines , ut laberentur.* Item : In Respons. ad Apol. Bertij :  
absurdum non est , peccata fieri *Deo volente , decernente , ordinante.*  
item : *prævolente , prædecernente , præordinante ,* ita , ut non possint  
non evenire , & tandem addit ibidem pag. 144. *Deum ad peccata ,*  
*quæ palam prohibet , occultâ ratione homines impellere.* Item ad a-  
micam



amicam duplicam Vorstij pag. 217. rebellio reproborum pendet à Dei voluntate antecedente, absolutâ & irresistibiliter efficace. Item in amicâ admonitione part. 2. pag. 969. Deum Adamum innoxium, & in ipsò homines reliquos naturaliter ex ipsò genituros, in peccatum & miseriam coniecit &c. Recognoscat verba Rennecheri in aureâ catenâ pag. 37. Reprobationem non aliam habere causam, nisi justam & immutabilem Dei voluntatem, quod in æternò & arcânò suò consiliò aliquos homines æternis pænis per se & propter se adjudicaverit & prædestinaverit: etiam ad lapsum, ut prolixè demonstrat D. Wellerus in tractat. de sanctitate Dei cap. 20. pag. 629. Recognoscat verba Spindleri in lib. de providentiâ: Si spectetur Judas proditor, quatenus Dei decreto & consilio subjacet, necessariò debuit Christum prodere, neq; aliter facere potuit, quàm fecit: siquidem ad hoc opus patrandum causa erat destinata. Item in libello de causa peccati, Deum Impellere malos spiritus & homines ad peccata, & efficaciter operari in illis, das sie thun müssen/was er beschlossen hat. Sic illi palàm loquuntur de prædestinatione hominum ad peccata, ad scelera, ad flagitia, rebelliones, aliaq; vitia. Plura videntur in Anti-Massonio D. Welleri tom. 1. disp. 5. p. 641. nec non in tractat. de sanctitate Dei pag. 429.

THE S. V I. Hoc profectò nefandum crimen est in sanctissimam Dei voluntatem, injuriosum & blasphemum nimis. Contra sanctè protestatur Dominus ipse. Zachar. VIII. v. 17. omnia ista mala & peccata odi, וְאֶנְיָשׁ, prorsus ex animò aversor, adeò, ut juret Dominus Jehova per animam suam, & edicat Deus exercituum, abominor fastum Jacobi. Amos VI. v. 8. Sicuti asseverat de Idololatriâ Judæorum, quod ea ne quidem in cor ejus subjerit. Jerem. VI. v. 3. Cap. XIX. v. 5. Cap. XXXII. v. 35. Ich habe es Deus non mir noch nie im Sinn genommen: es ist in mein Herz noch nie vult gekommen / ait Dominus ibidem. Sic odit Dominus iniquas cogitationes, & omnivaria peccata. Proverb. VI. v. 17. 18. 19. Omnem rem abominandam. Syr. XV. v. 13. adeò, ut non possit aspicere malum. Habacuc. 1. v. 13. Dominus ex animâ odit hypocrisin Judæorum. Esai. 1. v. 14. Detestatur maledictum, 1. Samuel. XV. v. 22. 23. Abominatur omnem iniquitatem. Esai. 1. v. 11. 13. 15. Dominus

B

minus



minus averfatur contumaciam & impenitentiam hominum. *Efaï. LXV. v. 12.* Elegistis quæ nolui *תִּצְדַּקְנִי*, ex displicentia renui, quæ vis verbi & phraseos est, ut patet ex *Deut. XXV. v. 7. 8. Hiob. XXIX. v. 14. Ezechiel. XVIII. v. 32. Cap. XXXIII. &c.* Similiter David *Pfalm. V. v. 5. 6. 7.* Deus non est volens iniquitatem, perdet loquentes mendacium, virum sanguinolentum & fraudulentum abominatur Jehova. Quæ dicta satis evidenter & notanter eloquuntur: *Deum in internò suò beneplacitò nequaquam velle peccata, sed detestari prorsus, abominari, ac averfari penitus.* Quomodo igitur eadem velit voluntate beneplaciti, ut passim criminantur Calvinistæ: quomodo ea in immutabili suò consiliò prædeceruat, & ex absolutò decretò præordinet, ut fiant? Profectò non est iniquitas in Deo *Pfalm. LXXX XII. v. 16.* Nulla impietas est à Deo, nulla iniquitas ab omnipotète. *Job. XXXIV. v. 10.* Mala consilia nō sunt ex Spiritu Dei, ut perpetrentur peccata supra peccata, *Efaï. XXX. v. 1.* Mali, qui Mundi pravitatem sectantur, non sunt ex Deo & à Patre cælesti. *Johann. 11. v. 15. 16.* Falsissimum proinde est, Deum prædestinare homines ad peccata, ad incredulitatem, aliaq; vitia, ac scelera, ut Calvinistæ supra pronunciabant.

THESES. VII. Quod porrò Calvinistarum dogma adeò enorme est ac perniciosum, ut omnia Religionis Christianæ capita evertat, fidei principia enervet, & studia pietatis atq; honestatis labefactet. Etenim adversatur *Scopo & fini totius verbi divini*, quod scriptū & promulgatū est, nō utiq; , ut in errores & vitia ducantur homines, non ut prævaricentur, delinquant, aut peccent, sed eū in finem, ut omnes rectè in formentur ac erudiantur in fide ac vitâ, ut Deum timeant, colantq; , ut credant & ambulent coram Deo in fide, veritate, & integritate. *Testimonium suum suscitavit Dominus in Jacob, & legem posuit in Israel, qui præcepit Patribus nostris, ut nota facerent ea filiis suis, ut cognosceret generatio postera, & ut filij qui nascerentur exsurgerent, & narrarent filiis suis: Ut ponerent in Deo spem suam, nec obliviscerentur operum Dei, & mandata ejus custodirent, Psalm. LXXVIII. v. 5. 6. 7.* Tota Scriptura inspirata utilis est ad docendum, & arguendum, ad corrigendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè

*Prædestinatio peccatorum Calvinistica.*

*Psal. 78.*



fectè instructus. *II. Timoth. III. v. 16. 17.* Præceptum Domini non occultum, non remotum, sed propinquum est tibi, in ore ac corde tuo, ut facias illud, *Deut. XXX. v. 11. 14.* Hoc est Del præceptum, ut credamus nomini filij ejus Jesu Christi, & diligamus alijs alios, sicut præcepit nobis. *1. Johan. III. v. 23.* Quæ scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturæ spem habeamus. *Roman. XV. v. 4.* Unde omnes seriò monentur: *resipiscite ac credite Evāgelio Marc. 1. & alibi passim.* Quæ utiq; omnia non paucis dicta & scripta sunt, non sanctis aut Electis duntaxat, sed omnibus omninò hominibus, sine discrimine bonorum & malorum, sine respectu personarum, sine limitatione reproborum aut electorum. Quæ propterea edicta & sacra diplomata omnibus studiosè scrutanda sunt, legenda atq; discenda, uti clarè indigitatur, *Habac. cap. II. v. 2.* Scribe visionem, & explana eam super tabulas, ut percurrat, qui legerit eam. Christus Magister fidelis omnibus acclamat. *Johann. V. v. 39.* Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos habere vitam æternam, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Unde & Pharisæis sonora voce dicit: *Hæc dico vobis, ut servemini.* Quem finem verbi sui Jehova Deus noster seriò intendit, adeò, ut ex animo optet, voveatq; *Deut. V. v. 29.* *O si esset hic eorum animus ad timendum me, & observandum universa mandata mea, in omni tempore, ut benè sit eis, & filijs eorum in sempiternum.*

THESES. VIII. Adversatur 2. Decalogo, & toti legi divinæ, tam naturali, quàm revelatæ, & per Mosen promulgatæ. Certè lex naturalis inscripta est cordibus omnium & singulorum hominum, ut faciant opera legis. *Roman. II. v. 18. & seqq.* Similiter lex revelata omnibus præscripta & promulgata est, ut in viis Domini incedant. *Scribe, inquit Domines Mosi, supra lapides omnia verba legis hujus planè ac lucidè, ut faciant præcepta Dei & statuta ejus. Deut. XXVII. v. 8.* Item: leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis, & in unum omni populo congregatum tam viris, quàm mulieribus, parvulis & advenis, qui sunt intra portas tuas, *ut audientes discant & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantq; omnes sermones legis hujus. v. 24.* Congregate ad



me omnes majores natu per tribus vestras, atq̄ Doctores, & lo-  
quar audientibus eis sermones istos, & invocabo contra eos cæ-  
lum & terram: Novi enim, quod post mortem meam iniquè age-  
tis, & declinabitis citò de viâ, quam præcepit vobis, & occurrent  
vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in con-  
spectu Dei, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum. *Deut.*  
*XXXI. v. 11.* Et rursus ait Dominus: Ponite corda vestra in o-  
mnia verba, quæ ego testificor hodie vobis, ut mandetis ea filijs  
vestris custodire & facere, & implere universa, quæ scripta sunt  
legis hujus. *Deut. XXXII. v. 46.* Fili hominis speculatorem dedi-  
te domus Israel: & audies de ore meo verbum, & annunciabis ex  
mesi dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaveris  
ei, neq̄; locutus fueris, ut avertatur à viâ suâ impiâ & vivet, ipse  
impius in iniquitate suâ morietur, sanguinem autem ejus de ma-  
nu tuâ requiram &c. *Ezechiel III. v. 17.* Sic Christus vult. *Luc.*  
*XXIV. v. 47.* prædicari in nomine suo pænitentiam inter omnes  
gentes. Hinc omnes seriò mandantur, ut omnes ubiq̄; homines  
resipiscant. *Actor. XVII. v. 30.*

THESES. IX. Tertiò adversatur toti Evangelio & Symbolo A-  
postolico, quod omnibus & singulis proponitur, ut credant in  
Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. Sicuti Apostolus & Evan-  
gelista Johannes de suò Evangelio contestatur: *Hæc, inquit,*  
*scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum Filij Dei, & ut credentes*  
*vitam habeatis in nomine ejus. Johann. XX. v. 31.* Sic passim jubemur  
credere ac dignè ambulare Evangelio. *Marc. I. v. 15.* *Ephes. I V. v.*  
*1. phil. I. v. 27.* &c.

THESES. X. Quartò adversatur Orationi Dominicæ, in quâ o-  
mnes confidenter invocent Deum, tanquam filij suum Patrem,  
ut sanctificent nomen Dei &c. Sanctas elevent manus. *1. Timoth. II.*  
*v. 8.* Orent in fide sine diffidentiâ. *Jacob. I. v. 6.*

Quintò adversatur Baptismo, in quò omnes verè regeneran-  
tur, sanctificantur, adoptantur, ut Deo suo adhæreant, serviantq̄;  
non Sathanæ. *1. Timoth. 6.*

Sextò adversatur institutioni ac usurpationi Sacræ Coenæ, in  
quâ & gratia Dei ob signatur omnibus, & fides confirmatur, & ad  
novam obedientiam obligamur.

THESES.



THESES. XI. Deniq; Septimò adversatur universæ verbi divini prædicationi, quæ utiq; nemini annunciatur, ut inde malus reddatur, sed corrigatur, non ut auditores verbi mala faciant, sed fugiant, non ut bona fugiant sed faciant. Quinimò peccata quoque passim seriò prohibentur, & e contra injunguntur opera bona, uti notissimum est. Quare absit ut dicamus, impietatem à Deò esse aut iniquitatem ab omnipotente, quin potius juxta opus hominis reddat ei, & juxta viam cujusq; invenire faciat eam. *Hiob. XXXIV. v. 10. 11.* Ne dicas, defeci impulsu Domini. Nam quæ ille odit, tu non debes facere. Ne dicas, ipse me induxit in errorem, neq; enim improbò virò impli opus est: omne nefas odit Dominus. *Syrach. XV. v. 11. 12. 13.* Facebant itaq; impia & blasphema dictoria Calvinistarum de Prædestinatione peccatorum. Facebat proterva & blasphema vox Calvinii, audacter dicentis: *Istud in questionem trahi non potest, multis verbum suum Dominum mittere, quorum cecitatem magis velit aggravari lib. 3. Institut. Cap. 24 §. 13.* In medium producit Pharaonem & Judæos, de quibus. *Esai. VI. v. 9* audiendo audite, & ne intelligatis, continuò exclamat Calvinus. *Ecoe, vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant, lumen accendit, sed ut reddantur ceciores, doctrinam profert, sed quâ obstupescant, remedium adbibet, sed ne sanentur.* Addit porrò: neq; hoc controverti potest, quos Deus illuminatos non vult, illis doctrinam suam ænigmatibus involutam tradere: scilic. quos Deus in vitæ contumeliam, ut porrò blasphematur Calvinus *d. l. Cap. 23. §. 12.* & mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent, & severitatis exempla eos, ut in finem suum perveniant, *nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis obæcat & obstupescit.* Obmutescere Calvine, comprime os tuum, nimis blasphemus es. Facebat hinc proterva & blasphema vox Piscatoris in *Respons. ad duplicã Vorstij pag. 10, pag. 220.* dicentis, Reprobi ad utrumq; malum præcisè prædestinati sunt, ut æternum puniantur, & necessario peccent, & quidem ideò peccent, quò juste puniri possint. Et hoc primum est, quod contra Calvinianos producendum fuerat.

THESES. XII. Deinde præoccupandum & hoc est, quod non pauci Calvinistæ ita doceant, nec minorum gentium Calvinisti-



Zwinglij  
verba im-  
pia.

Danaus.

carum Dij, sed plurimi, non tantum Calvinus, Beza, Piscator, tam crasse ac profane loquuntur, nec Zanchius duntaxat (qui hac in causa tam impudens est & blasphemus *lib. 5. de Naturâ Dei thes. 4.* Et ibidem passim, ut eum Crocius tueri non aufit, sed plane sepositum cupiat) sed alij multi, ijq; præcipui, primores & auctores Sectæ Calvinisticæ, *Zwinglius Cap. 6. de providentiâ Dei* impudenter scribit: Adamum fuisse coactum ad peccandum. Item: *contra Anabap. pag. 2. fol. 36. Divina providentia Esavum in hoc creavit, ut viveret, atq; impie viveret.* Quæ verba tam impia sunt, ut Crocius *parte 2. Conversationis Pruten. pag. 222. optet*, nunquam fuisse scripta, cum vix sine gravi offensione à piò legantur, idque quia impia vita, seu peccatum Esavi conditi finis dici videatur, *Danaus in Isagoge Christianâ part. 4. Lib. 3.* Deus ex beneplacitò suo destinavit peccata, item: evenit ex Dei ipsius æternò decretò, quod tamen est contra ejus voluntatem manifestam. *Nicasius à Schüre in brevi suâ iustitut. ut citat Sigwartus in admonitione Christianâ*, omnia, sive bona sive mala necessariò fieri debent & fiunt. *Et hujus, inquit, causa est immutabilis & irrevocabilis prædestinatio Dei.* Confessi quidem sunt Stoici philosophi, esse omnium rerum necessitatem, quam appellarunt fatum, à fando: *Verum in hoc errarunt, quod necessitates omnium rerum adscripserunt Planetis & Naturæ, quam debuissent soli prædestinationi Dei adscribere.* Per hanc prædestinationis Dei necessitatē peccant reprobi, & debent necessariò damnari: per hanc necessitatē prædestinationis Dei Judas Christū prodidit. Itē; *Hipperius in methodo Theolog. tã bonum quàm malū fit ab homine necessitate quādã, necessitate, inquit, divinæ præordinationis, eò quod Deus illa futura sic ordinaverit.* Plura ejusmodi Emblemata Calvinistica, occurrunt apud Chamier. *lib. 7. Cap. 5.* Qualia porrò tradunt in ipsà etiam Synodo Dordrechtanâ, Franciscus Gomarus *Academiæ Groninganz Profess. pag. 33.* Sibrandus Lubbertus *Theolog. D. & Profess. Franerak.* Johannes Polyander *Academ. Leidens. Profess.* Antonius Thysius *Theolog. Profess. in Illustri Scholâ Haderwicenâ*, Antonius Walæus *Middelburgens. Pastor. & Profess.* Professores Belgici, alijq; Synodici Dordrechtani. Vidimus, scribunt *Nordballandici pag. 87. in judicis Theolog. provincial. hic Apostolum Rom.*



Rom. 9. v. 11. 12. 13. 18. 22. disertè non tantum Electionem & prædestinationem ad salutem, sed etiam reprobationem & destinationem ad justum odium, itemq; indurationem soli voluntati divinæ adscribere. Hæc ita constant satis, & contra tergiversationes atq; criminationes Crocij hæcenus præsupponenda fuerunt.

THESES XVIII. Sed illud nunc in controversiam venit, num in genere sic doceant Calvinistæ. Id est, quod strenuè negat Crocius, & in quò latebras quærit: Calvinistas, inquit, hoc in genere docere negavi. Et rursus. Calvinistas hoc in genere docere scripsisti, hoc ergo tibi probandum erat: Quod quia non facis, nec quidè potes, quid vetat, quo minus breviter concludam. Qui Calvinistas hoc in genere docere scribit, quod non in genere docent, is calumniatur. Menzerus Calvinistas in genere id docere scribit, quod non in genere docent. Ergo Menzerus calumniatur. At vero perversa hæc Crocij cavillatio est, nec non iniqua calumniatio. Calvinistas sic in genere docere, constat primò ex communi assensu & consensu Calvinistarum Synodorum Dordrechtanorum, qui tantum abest, ut ejusmodi prava & blasphema dogmata rejecerint, & proscripserint è suis Ecclesijs sive mutaverint, aut correxerint, ut ne quidem phrasès sive locutiones duriores ac incommodiores, quæ in non nullis reformatorum Doctorum scriptis reperirentur, ejiciendas esse censuerint, quanquam eam in rem rationes à Theologis magnæ Britannia, Hassiacis & Bremensibus, alijsq; propositæ fuerint & ventilatæ. Quibus tamen utrinq; diligenter expensis, nolunt Dordrechtanæ Patres ejusmodi locutiones damnare aut rejicere, quod patet ex actis Synodi Dordrechtanæ sess. 132. Sed visum fuit potioribus suffragiis rejectionem incommodiorum locutionum esse omittendam, ne calumniari possent adversarij, rejectione phrasium incommodarum, etiam doctrinam Orthodoxam, quam professi essent illi, qui in ejus explicatione ejusmodi phrasibus durius aut impudentius usi videntur, pariter damnari. Ecce doctrinam supralapsariorum (de illorum enim locutionibus quæstio erat) pronunciant illi Orthodoxam. Idem ergo cum illis quo ad rem & sensum realem statuunt. Reos ergo semetipsi faciunt illorum criminum atq; errorum, quorum modò postulabantur Calvinus, Beza, Zanchius, Piscator &c. Hinc disputans

Communis Calvinistarum Consensus.



disputant hodieq; , quod aliter tantum accipiatur terminus præ-  
destinationis ab infralapsarijs, indeq; dissensio tantum sit in ver-  
bis, in modò loquendi, sed in re ipsâ, in causis, in fundamento,  
in summâ rei, nulla sit dissensio, sed amica conspiratio, uti decer-  
nit *collatio Hagiensis*, & apertè pronunciat *Spanheimius in disputat. de*  
*prædest. Rivetus, alijs*, nec diffiteri audet *Bergius in disputat. de pro-*  
*videntiâ & prædestinat.* ut paulò post fusius audiemus.

*Molinaeus.*

THES. XIV. Certè conveniunt in capite & fine prædestinationis,  
quinimò etiâ in ordine, causis, & medijs. Caput prædestinationis si-  
ve prima ejus causa tam apud sublapsarios, quàm supralapsarios per-  
petuò statuitur *mera & absoluta Dei èudoniâ, liberrimum Dei be-*  
*neplacitum, quia sic placuit Deo Patri, sic ipsi visum fuit.* Finis præ-  
destinationis utrimq; est gloria Dei, demonstratio justitiæ in re-  
probis, & declaratio misericordiæ in electis. Illi, ut justè damna-  
ri possent ex simplici & absolutâ voluntate prius reprobantur, hoc  
est, prætereuntur, & excluduntur à gratiâ conversionis, nec fide  
verâ unquam donantur. Quam ob rem notanter scribit *Moli-*  
*neus in Epit. Arrianismi Cap. XIII. § 19.* Nec vero ex sententiâ  
venerandæ Synodi, & confessionis Ecclesiarum nostrarum, qua  
homo lapsus fit objectum prædestinationis, sequitur, Deum in-  
certò sine hominem creasse, aut sine, quem sibi proposuerat, ex-  
cidisse. Finis ultimus Deo propositus non fuit salus aut perdi-  
tio singulorum, sed illustratio suæ gloriæ, per manifestationem  
suæ bonitatis & justitiæ. *Ad hunc finem ut perveniret, decrevit crea-*  
*re hominem justum, sed mutabilem & liberum. Hoc decretum sequitur,*  
*non quidem tempore, sed ordine, præscientia lapsus hominis. Hanc*  
*præscientiam ordine sequitur electio & reprobatio.* Ecce quàm lucu-  
lenter ille prodat sententiâ Synodi Dordrecht, quàm graphicè  
depingat Calvinismum, fontemq; indiget totius sectæ Calvini-  
sticæ. Videlicet *eum in finem hominem labilem, mutabilem & li-*  
*berum fuisse conditum, ut per lapsum ex Dei decreto futurum, &*  
*prævisum, gloriam suam demonstrare posset: In hunc finem ab æ-*  
*ternò prædestinatum esse hominem.* Ita ergo Deus, Creator omnium,  
ex mente Calvinistarum, voluit lapsum Adæ, ceu medium decla-  
ratiqum gloriæ divinæ. Recognoscat *Crocus* sua propria  
verba



verba, quibus asserit *in defens. secund. part. contro. Pruten.* Deum fecisse quædam vasa ad dedecus. Rom. 9. v. 21, ut declararet divitem suam gloriam. Jam vide & perpende, quid porro edicat idem *Molinæus ibid. §. 13.* Quemcunq; Deus destinavit ad finem, prædestinavit etiam ad media, sine quibus ad finem istum non potest perveniri. *Si ergo Deus creaturam insontem* ( adde ex decreto Dei eò destinatam, ut laberetur, sicq; ex desertione animulæ à se creatæ quærat materiam gloriæ quæ sunt verba Molinæi d. l. pag. 71. vel ut Crocius concedit, illam animã, pro quâ Christus pretioso suo sanguine satis fecit: si talem adde creaturam Deus) *reprobat, nec potest perveniri ad executionem hujus decreti, sine peccatô hominis, necesse est, Deus prædestinaverit hominem ad peccatum, ne sine suô Deus excidat, & Dei decretum sit causa peccati.* Hæc ipsissima est crassissimorum Calvinistarum doctrina. Nihil hætenus in eâ mutatum, aut adeò correctum fuit, ut gratulari hodiernis Calvinistis jure possimus.

THESES. XV. Neq; vero sic tantum conveniunt, quod tamen caput & finis causæ est, sed deinceps in ordine ac medijs prædestinationis & reprobationis, ubi summa rei residet, & totius controversiæ cardo vertitur. Primum in universum omnes Calvinistæ decretum Dei faciunt, *de gloriâ Dei demonstranda & illustranda,* cujus executio & medium quasi quoddam sit lapsus primorum parentum, uti jam modò ex communi Sectâ Calvinisticâ præocupavimus. Inde ipsa nunc absoluta prædestinatio & reprobatio in ordine decretorum divinatorum succedat, *eadq; prior sit reliquis omnibus:* prior decreto reparationis, & Redemptoris Christi, prior decreto de vocatione ac gratiæ salvificæ oblatione. Unde dependeat universa gratiæ salvificæ dispositio & administratio. Inde, tanquã ex immutabili decreto lapsi sortiantur diversas suas sortes, sive ad bonum, sive ad malum. Immanè quantum in illis omnibus errent moderni Calvinistæ, dici hoc locò satis non potest: In subsequētibus dissertationibus 3.4. & seqq. ulc9 illud tangendum erit, & suô quodvis locò expurgandum. Nunc in præsens observetur atq; recolatur *connexio finis & mediorum* in negotiô *reprobationis & damnationis necessariorum,* quæ tam arctè coherent, ut qui

C

ut qui



*Connexio  
finis &  
Mediorū  
in negotio  
prædesti-  
nationis.* ut qui unum, nempe finem, prædestinat, ipsum quoq; & reliqua, puta media ordinaria, prædestinare similiter oportet. Quam in rem scribit *Piscator contra Hemming, pag. 76.* Si Deus operatus est impium ad pœnam; sequitur, quod eundem etiam operatus sit ad peccatum, quia nisi peccatum præcessisset, pœna ei justè infligere non posset. *Idem contra Schaffmannum pag. 29. thes. 27.* Deus hoc consiliò condidit homines, ut re ipsà laberentur, quippe cum non nisi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos suos principales. Unde disputant passim Calvinistæ, ex immutabili Dei decretò provenire necessitatem peccandi, ut prædestinati ad mortem justè damnari queant. Decantatissimū Calvinistarum argumentum est, Qui vult finem, vult etiam media. Deus vult finem, puta damnationem. Ergo quoq; vult media, nempe peccata. Sed & *Chamier, lib. 7. panstrat. Cap. 5. §. 16.* audacter scribit argumentò tertiò: Quicumq; ordinatur ad media, idem prædestinatur ad finem. At reprobi ordinantur ad media damnationis. Ergo ijdem prædestinantur ad damnationem. Major pater, quia media & finis sunt relata, nec media sunt, nisi quæ ad finem ducunt. Universa Synodus Dordrechtana finem, nempe gloriæ divinæ demonstrationem supponit, indeq; suspendit absolutum reprobationis decretum. Quod sic produnt ostenduntq; Noort-Hollandi pag. 87. In judiciis provincial. Quod voluntatis divinæ (in decreto Reprobationis) finis sit patefactio gloriæ & Justitiæ Dei constat ex locis sequentibus. Proverb. *XVI. v. 4.* Deus fecit omnia propter se ipsum, etiã impium ad diem malum, Exod. *XI. v. 16.* & Rom. *IX. v. 17. 2 2.* Itē ex eo, quod Deus sit omniū summus finis ex Rom. *XI. v. 36.* Ex eo, per eum, & in ipsum sunt omnia.

THESES. XVI. Cæterum de convenientiâ & communi Calvinistarum sensu quæ capimus, ea constant porro *Ex propria Confessione*, quâ fatentur, supralapsarios & sublapsarios verbis duntaxat discrepare, in sensu & re ipsà convenire. Petrus Molinæus, Parisiensis Sacerdos, cujus autoritas apud Calvinistas magna est, & insigniter laudatur in Synodò Dordrechtanà sess. 142. & 143. hoc ipsum disertis verbis confitetur, & in *Epitome Arianismi pag. 74. §. 16.* ingenuè ac candide scribit: tantum hic esse molliora verba, & addit:



addit: *Quod si Deus infontem creaturam, ( adde lapsam ex immu-  
tabili Dei decreto, itemq; animam à Deo immediatè creatam, ut  
communiter disputant Calvinistæ ) destinavit ad perditionem, ne-  
cesse est, eandem destinaverit ad peccatum, sine quo non potest esse justa  
perditio, & sic Deus erit causa impulsiva peccati.* Hæc Molinæus, qui  
num sibi constet satis, cum in Synodò Dordrechtanà aliter statue-  
re, seu alià tantum linguà uti videatur, judicent alij. Similiter  
Johannes Bergius Calvinianorum hodiernorum Antesignamus,  
in disputat. de providentià & prædestinatione thes. 25. scribit:  
*eos qui lapsum hominem priorem faciunt decreto electionis & reprobati-  
onis, ab iis, qui hunc ordinem invertunt, & decreta tum electionis tum  
reprobationis priora fingunt ipso lapsu, non tam re; quàm explicandi  
modo dissentire, cum in causis prædestinationis & effectis planè  
convenient. Huc facit, quæ Piscator in tractat. de gratià Dei pag.  
17. disputat: Quæritur hodie inter Doctos: An objectum prædestinatio-  
nis divinæ sit homo consideratus, ut nondum conditus; an vero conditus,  
sed nondum lapsus, an deniq; ut lapsus? Hæc quæstio fallax est, inquit,  
quia nititur falsâ hypotthesi: quasi scil. hominis considerationes in-  
ter se sint oppositæ, ita, ut una earum affirmata, reliquæ necessa-  
riò sint negandæ. At considerationes illæ non sunt oppositæ,  
sed tantum diversæ, ac proinde omnes locum habere possunt, sicut  
& revera habent. Hinc porro palam profitetur D. Spanbeimius  
in disputat. de Prædest. thes. 8. Anno 1641. Genevæ habitâ, nullum rea-  
lem dissensum esse intra supralapsarios & infralapsarios, sed in re  
ipsâ, in sententiâ, & rei summâ esse conspirationem amicam, &  
addit ibid. thes. 9. Hinc patet conciliatio opposita pugnantium  
in speciem opinionum, quæ inter Theologos & Orthodoxos repe-  
riuntur, quorum aliqui objectum prædestinationis constituunt,  
hominem nondum conditum, alij conditum quidem, sed non-  
dum lapsum, alii & conditum & lapsum. Primæ sententiæ af-  
fertores prædestinationis nomenclatione latâ complectuntur, &  
decretū creandi hominis, cujus sanè objectum esse nequit homo  
conditus. Secundæ sententiæ Patroni prædestinationis nomine una  
cum decreto statuendi de hominibus lapsis, conjungunt decre-  
tum permittendi lapsum, cujus utiq; objectum esse nequit homo*

*Spanbei-  
mius.*



Rivetus.

lapsus. Tertiæ sententiæ Fautores prædestinationem strictè sumunt pro decreto seu misericordiæ, vel libertatis & justitiæ circa hominem lapsum, cujus sanè objectum est homo consideratus ut lapsus, quò significatu prædestinationis voce usa fuit sapienter Synodus Dordrechtana, & nos hîc cum illa. Hinc nulla hætenus ἀντιλογία vel σύρραξις inter Theologos Orthodoxos, homonymia ista vocis ita distincta, imò amica inter eos in rei summâ conspiratio. Hæc D. Spanheimius. Eodem modò disputat D. Rivetus in dissertat. de gratiosâ Dei dispensatione thes. XII. *Inter eos, inquit, qui credunt prædestinationis causam referendam esse ad summam voluntatis divinæ libertatem, non ad prævisa bona vel mala in hominibus, controversia in re nulla est, etsi in loquendi modò videantur dissentire.* Sic ergo cum in causis, in fundamento, in summâ rei, consentiant amicè, aliter hætenus de Calvinistis præsumere non licet, quàm quod prædestinationem malorum ad peccata in genere statuant omnes.

THE S. XVII. Præterea hoc ipsum constat ex perpetuâ Calvinistarum tergiversatione, quâ dissimulare malunt, quam fateri errores, uti Synodus Dordrechtan. tergiversatur in doctrinâ Reprobationis sess. 32. alij declinare prorsus satagunt hanc causam. Quin & involvere potius causam, obtenebrare, fimum spargere, fucum facere, & glaucôma imperitioribus objicere conantur, quàm evolvere eam exactius velint, & dogmata impia & blasphema supralapsariorum diæteria palam conceptisq; verbis rejicere atq; damnare. Quam in rem *deputati Zuyt Hollandici in Synodo Dordrecht. in judic. de 1. articul. pag. 79.* scribunt: An Deus in eligendo homines consideraverit ut lapsos, an etiam ut nondû lapsos, existimant, *non esse necessarium, ut definiatur, modò statuatur, Deum in eligendo considerasse omnes homines in pari statu, ita, ut qui electus est, non fuerit à Deo consideratus, vel ex se & merito suo, vel per gratiosam æstimationem dignior altero, qui non est electus.* Quemadmodum viri Docti & pij sententias de objecto prædestinationis, quæ inter se videntur discrepare reconciliarunt, & illis non inutiliter reconciliari posse existimant. Idem svadet probatq; D. Rivetus tom. II. Catholicæ Orthodoxi pag. 402. n. 7.

Non



Non tamen eorum, quæ alius conscendunt sententiam temeritatis at-  
guimus, quia per variarum considerationum rationem unaquæq; harū  
sententiarum sua habet fundamenta. Ecce illi nolunt arguere, ne  
dicam damnare supralapsarios, nec alicujus erroris infimulare.  
Crassissima itaq; eorum dogmata de prædestinatione peccatorum  
tantum abest, ut rejiciant, ut potius tacitè approbent. In sinu  
reconditum tenent, teguntq; , quod palam eloqui non audent.

THESES, XVIII. Deniq; constat idem quintò *ex publicâ defensio-  
ne*. Non enim tantum tolerant, suffuscant, speciosè illiniunt  
prava, & crassa supralapsariorum dogmata, sed eadem quoq; de-  
fensitant, propugnant, dilaudant, utpote, quod sic altius ascen-  
dant in considerationē consilij divini, & ordine decretorum divi-  
norū nitantur. Paræus in commentariò super Epistol. ad Roman. Cap. 9. *Paræus.*  
*in explicatione dubij 8. pag. 880.* operosus valdè est in conciliandis &  
defendendis Sociennorum opinionibus. Supponit ille *duplex jus*  
*Dei* in homines & omnes creaturas. *Absolutum* unum, juxta quod  
causa judiciorum divinorum sit merum Dei beneplacitum, eòq;  
citatur dicta. *Esai. XLI. v. 7. Psalm. III. v. 3. Exod. XXXIV. v. 7. Job.*  
*XII. v. 10. Luc. XII. v. 5. Ephes. I. v. 11. Roman. XI. v. 35.* Alterum  
*ordinatum*, quod sit attemperatum Justitiæ Dei in verbo revelatæ:  
*Aliquando* inquit, *Scriptura S. loquitur secundum jus Dei ordinatum,*  
*ad regulam justitiæ distributiæ, in verbo legis & Evangelij revelatam,*  
*cui Deus sese quasi submisit, & secundū quod nos vult sentire de suis judi-*  
*ciis.* Et sic scriptura causam partim ad Dei voluntatem, partim &  
proximè ad hominū peccata referre solet. *Levit. XVIII. v. 5. Qui*  
*fecerit ea, vivet in eis. Ezech. XVIII. v. 4.* Anima quæ peccave-  
rit ea morietur. *Roman. I. v. 28.* Hoc est jus Dei, eos, qui talia *Jus Dei*  
faciunt, dignos esse morte. *II. Thessal. I. v. 6.* Justum est apud *absolutū.*  
Deum *ἀνταπόδοσιν* retribuere ijs, qui affligunt vos, afflictionem,  
vobis vero, qui affligimini, relaxationem. *Utròq; modò, si benè*  
*observemus, Apostolus de causâ electionis & reprobationis hic disputa-*  
*bit hoc Capite. Secundum absolutum jus Dei causam utriusq; sta-*  
*tuit in solâ Dei voluntate. v. 11. Cum pueri nihil fecissent vel boni*  
*vel mali, ut propositum secundum electionem Dei maneret &c.*  
*v. 15. Miserebor cujus misertus fuero. v. 17. 18. Ad hoc ipsum ex-*



Collatio  
Hagiensis.

citavi te &c. Cujus vult miseretur, quem vult indurat. v. 27. An-  
non potestatem habet figulus in lutum, ut ex eadem massâ &c.  
Hinc manifestum, ait, esse. Primò Orthodoxè cum Apostolò  
doceri, *causam electionis & reprobationis, tam absolute, quam com-  
parate, non in hominum prævisis bonis vel malis meritis, sed in-  
solâ Dei voluntate* quærendam esse, quicquid humana ratio contra-  
obmurmuret, quantum nempe ad absolutum jus Dei attinet;  
Secundò patet, nullam esse inter Doctores nostros *pugnantiam*,  
cum alij eò, quò dictum est modò totam reprobationem ad me-  
rum Dei arbitrium referunt, alij in reprobationis & damnationis  
decretò etiam peccatum in rationes venisse sentiunt. Porrò pro-  
lixè inculcat Paræus, quomodo reprobatio dependeat à *Solâ Dei  
eudoxia, ex merò Dei beneplacitò*. Quantum in his omnibus erret  
Calvinista, nostri instituti nunc non est exponere, alius eâ de re  
dicendi locus erit, & infra quæq; suò locò excutientur, nunc sal-  
tem ostendimus, quomodo ille pessima supralapsariorum dogma-  
ta defendere conetur. Adde jam, quod collatio Hagiensis de  
supralapsarijs scribit: *quod nonnulli Ecclesiarum nostrarum Doctores  
paulò altius in consideratione consilij divini, ipsiusq; decretorum de homi-  
num salute nituntur, quod nos ipsi jam ante retulimus, de eò hætenus  
nulla in Ecclesiis nostris fuit concertatio, aut lis, idq; propterea,  
quod etiamsi duæ istæ sententiæ in eò differant, quod altera ponat, De-  
um in æterno consilio hominem considerasse, ut nondum creatum, alteræ  
vero Deum concipiat ex lapsò genere humanò quosdam ad salutem elegis-  
se, præteritis reliquis: tamen utraq; in fundamentò consentiunt, nimi-  
mirum esse certum quendam numerum electorum filiorũ Dei &c. fol. 25.  
edit. Petri Bertij, Anno 1616. in 4.* Et quid opus est multis? Massoni-  
us hodiernus sectæ Calvinisticæ propugnator acerrimus, sive Bec-  
mannus, sive alius, ejusq; complices hisce nostris temporibus, quot  
& quanta edunt volumina disputationum & altercationum, in  
quibus crassissima quæq; supralapsariorum, Calvinii, Bezæ Zan-  
chij, Piscatoris &c. dictoria & dogmata infucare, palliare, tuta-  
ri, ac propugnare ingenti profus conamine annituntur, ut vide-  
re licet ex tot publicis scriptis, dialogis, anatomijs, Irenicis, sta-  
bilimentis &c. Unde obscurum esse non potest, quò animò di-  
sputare soleant Calvinistæ: Deum in arcanò suò beneplacitò *non  
velle,*



velle, ut reprobis credant, non velle omnes donare fide salvificâ, & gratia conversionis, non debere singulos homines in Christum credere. Quomobrem in Synodô Dordrechtanâ Geldrici, seu fratres Geldrorum sic judicant & pronunciant. Nos & hoc addimus ad majorem lucem: Quos solos ad se vocat Christus, ij soli ad Christum venire, id est, in Christum credere jubentur. Solos sitientes, laborantes, oneratos, cæcitatem, in opiam & nuditatē suâ agnoscentes ad se vocat Christus. Ergo. Cum a. singuli nec sint, nec fiant sitientes, laborantes &c. neq; singulis juberi dicendum est, ut ad Christum veniant, id est, in Christum credant. Hæc illi. Quæ omnia ex Immutabili decreto Dei sic fiant. Unde necessario sequitur, ex eodem decreto homines fieri malos, incredulos, sceleratos, Induratos, sicuti passim inducunt illud Apostoli Pauli Rom, 9. Deus indurat, quem vult.

THESES. XIX. Communis ea hæctenus fuit opinio, & doctrina Calvinistarum, tam sublapsariorum quàm supralapsariorum, quam de prædestinatione malorum & peccatorum partim fovent, partim produnt palam: Superest, ut de modô sive moderatione, sive incrustatione & dissimulatione illorum dogmatum, quantum quidem angustia pagellarum, & ratio temporis permittit, breviter disquiramus. In eò scil. ultimum refugium sibi paratum putat Johannes Crocius: quasi Calviniani non ita doceant *absolutè & simpliciter*. Hoc sibi demonstratum postulat. *Concedo*, inquit, dictò loco hic (ex verbis Beza decretum reprobationis à solò Dei decreto pendere) *exstrui absolutum à causâ antegrediente, quæ sit in homine, reprobationis decretum: de quò dicendi paulò post locus erit. An vero hic scribit, Deum simpliciter & absolutè quosdam ad ipsum etiam peccatum prædestinasse?* Illud monstrandum erat, de eo enim jam queritur pag. 669. *Beza asserit, non tantum finem, sed etiam causas intermedias reprobationis à Deo volente decerni: Tu quidem verba Beza affers. An verò hic asserit, Deum quosdam homines ex merâ voluntate absolutè & simpliciter ad ipsum peccatum prædestinasse?* De hoc enim jam queritur. Hæctenus Crocius.

THESES. XX. At verò vana est ea tergiversatio, fallax & iniqua Crocij incusatio. Non de vocabulis modò, verbisque Beza, nec de unò tantum locò queritur, sed de mente ejus, de sensu verbo-



prima &  
suprema  
causa re-  
probatio-  
nis apud  
Calvini-  
stas.

su verborum, *de integrò systemate doctrina Calvinistica*, ut legitimè præoccupaverat D. Menzerus, sive *de communi Calvinistarum doctrinâ*, quam hæctenus in gratiam Crocij produximus. In eâ, inquit Menzerus, *docetur, reprobos absolutè & simpliciter prædestinari ad peccata, puta ceu media executiva absoluta reprobationis*, ut justè rejici & damnari queant. Et hoc certissimum est. Fallit Crocius, atq; insidias struit in vocabulis, *absolutè & simpliciter*. Attende modò, quod ea hoc locò nō præcisè opponantur objecto prædestinationis, quod sint homines in communi, sive statu, sive miserâ pares, sed *causæ impulsivæ aut rationi moventi* in objecto, quod Deus, tanquam justissimus judex, respexerit, & propter quod, ceu meritum causæ, plurimos reprobaverit à gratiâ beatificâ. Hoc caput controversiæ est, cur ergo de similibus, de paribus, non idem fiat judicium? Certè hic nullam peculiarem aliquam culpam in lapsis præteritis, nullum diversum aut speciale delictû in reprobis, statuere possunt Calvinistæ, cur plurimi prætereantur, sive definitè, sive indefinitè, cur deserantur in communi miserâ, & non æqualiter inde eruantur, sicuti reliqui ejusdem præfusi conditionis. Quin nec ullam causam sive rationem *motivam primam* agnoscere aut adducere volunt, sed tandem cum Calvinò recurrentum esse dicunt ad solum Dei arbitrium, ad jus Dei absolutum. Sicuti in Synodò Dordrechtanâ Ecclesiæ Nassovio-Wetteravicæ palam eloquuntur, *non oportet hîc in peccatò subsistere, sed assurgere ad evodiam, quæ est causa præteritionis, seu non electionis*. Item Embdani in eâdem Synodò pag. 597. agnoscunt & confitentur, *quæstionem manere indecisam, quare quos eligere voluit, fidei, resipiscentiæ, perseverantiæ donum dare decreverit Deus, aliis autem non voluerit dare*. Non potest aliter responderi, nisi quod ita placuerit Deo: In hoc Dei beneplacitò meritò debebamus omnes acquiescere. Et quid opus est multis. Crocius ipse in defens. advers. Menzer. cap. 8 pag. 269. scribit, in quærendâ causâ reprobationis tandem redeundum esse ad Dei voluntatem. Omnino enim Deus aliquos reprobavit, quia ita ipsi libuit. Ita dicimus, Calvinistas omnes statuere *simplex & absolutum Dei decretum*, quod est principium & fons omnium dogmatum Calvinisticorum, adeò quidem, ut sic in malorum quoq;



quoq; prædestinatione primam & supremam causam faciant simplicem & absolutam Dei voluntatem. Unde mali absolutè destinentur ad mala, non ad bona, ad peccata, ceu inedia executiva illius prædestinationis seu reprobationis: Unde ex prædeterminatione divinâ omnia, etiam mala & peccata, necessariò eveniant, quoniam illa voluntas Dei in omnibus (malis quoq;) operetur omnia, & impios ad mala, ad peccata, uti communiter disputant Calvinistæ, & eò trahere ac depravare solent illud *Proverb. XVI. v. 4. Omnia operatus est Jehova propter semetipsum, etiam impium ad diem malum*, uti supra quoq; notavimus. Quæ perversissima dicti interpretatio est, cum in illò non agatur de prædestinatione, aut creatione hominum in mala sive culpæ, sive pænæ, sed de providentiâ & directione omnium, etiam malorum, in bonum exitum & eventum. Sic disputant *ex Cap. IX. ad Roman.* Deum absolutè indurare, quos velit, præparasse vasa iræ. Ubi tamen tale quid in textu non legitur, non dicitur, Deum fecisse aut adoptasse vasa iræ, sed potius *ea tulisse in magnâ longanimitate*, sicut bonus Magistratus ferre solet impium civem, expectans, ut se corrigat: Ita quoq; Deus non facit, sed tolerat impios, ut se emendent. Commodè monet, & benè notat Fulgentius, quod Apostolus nò appellet *vasa culpa*, id est, à Deò ordinata, ut scelera exerçant, sed *vasa iræ*, in quibus Deus propter iniquitatem ipsorum ostendit iram. Hæc tamen etiam Dordrechtani Patres pro adstruendâ suâ reprobatione absolutâ passim adducere non verentur.

THE S. XXI. Audiamus denuò rei actores, Calvinistarum antesignanos, quomodo hanc causam in ipsâ *Synodò Dordrechtanâ* proponant, agantque. Sic ibidem loquuntur primi censores, Theologi Magnæ Britanniæ de articul. 1. Cap. 2. de reprobatione thes. 11, *Hæc non electio sive præteritio non præsupponit in homine præterito aliquam qualitatem vel conditionem aliam, quæ in electò reperta est, & quæ toti Massæ corruptæ sit communis.* Deus ex misericordiâ eligens invenit electum in Massâ corruptâ, eadem miseriâ obrutū, quâ cæteri, & ex suâ præsentis conditione morti obnoxium. *Roman. IX. v. 15. Miserebor, cujus miserebor. Et v. 23. ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriâ.*

D

*Britanni  
Theologi  
de præde-  
stinatione  
autem absolutâ.*



*autem 22. de reprobatis*: Volens Deus ostendere iram, & notam fa-  
 cere potentiam suam. Ita objectis æqualibus propositis, Deus,  
 cur quosdam liberarit, non omnes, cur hos potius, quam illos, ratio-  
 nem non petit ex ullâ ipsorum inter se disparitate, sed tantum ex  
 liberrimô suô beneplacitô, de manifestandâ hinc ditissimâ gloriâ, illinc  
 justissimâ irâ suâ, cum facit hos, quales non errant vasa misericor-  
 diæ, illos, quales in proximô erant, vasa iræ. Ejus rei typus exstat  
*Ezech. XVI.* ubi impuritas omnium naturalis describitur. v. 4. Et  
 Dei selegentis benignitas. v. 6. Cum esses in sanguine tuô, dixi ti-  
 bi: *Vive*, dixi, inquâ tibi: reliquis nempe relictis in impuritate suâ.  
*Porrò in refutatione thesiu Heterodoxarû disertè pronunciant: prævisam*  
*infidelitatem esse causam non-electionis, falsum est*, quia omnes ad u-  
 num homines prævidentur, ut perseveraturi in infidelitate, qui ad  
 perseverantem fidem non eliguntur. Et nemo prævidetur in infide-  
 litate certô moriturus, nisi quem Deus in destinatione efficacis  
 gratiæ, decretô antedaneô præterivit. *Johann. XVI. v. 6.* Vos non  
 creditis, quia non estis ex ovibus meis. *I. Johann. XI. v. 19.* Si fui-  
 sent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Apostolus præteri-  
 tionem seu non-electionem arcessit à merâ Dei voluntate. *Hæc*  
*Britanni.* Qui quidem supponunt communem massam corruptam,  
 nempe lapsos miseros peccatores, ceu objectum prædestinationis  
 æquale, *sed causam seu rationem discretionis*, cur quidam eligantur,  
 reliqui prætereantur, inde non posse peti asserunt, sed ex liberri-  
 mô tantum beneplacitô Dei. Item: Præteritionem esse causam,  
 cur homines maneant in peccatis, in infidelitate, præteritionem  
 arcessendam esse à mera Dei voluntate.

*Palatini*  
*Theolog.*

THES. XXII. Idem statuunt ibidem *Palatini in suo judicio*  
*pag. 514.* Cur alijs detur fides, alijs non detur, Christus ad *evan-*  
*gelium* Patris *Matth. XIII. v. 11.* Paulus ad liberrimam ejus volunta-  
 tem refert, quâ aliorum miseretur, dando ipsis fidem, alios indu-  
 rat eam negando. *Roman. IX. v. 18. Johann. XII. v. 12. 39. 40.* Si teste  
 eodem Apostolô firmum jam erat Dei propositum, quoad repro-  
 bationem, cum nec dum mali quicquam fecissent reprobi, quo  
 reprobationem sui præ alijs mererentur, quomodo propter incre-  
 dulitatem dici possunt reprobatum fuisse? Omnes naturâ sumus  
 cæci



cæci mente & duri corde ad credendum, nec quisquam credit, aut  
 credere potest, nisi Deo mentem ejus illuminante, cor emollien-  
 te & flectente in obsequium Evangelij. Si igitur infidelitas cau-  
 sa esset reprobationis, omnes pariter fuissent reprobat: Sed Deus  
*corruptione pares discrevit suo beneplacito*, & illos fide donavit, hos  
 liberrimam ac justissimam voluntate reliquit in peccato & morte, ut  
 veritas dicto fieret: *Miseretur cujus vult, & indurat, quem vult. Ro-*  
*man. IX. v. 18.* Eadem docent & reliqui Synodici Dordrechtani in  
 judicio exterorum. Hassiaci pag. 534. 535. Helvetij pag. 541. Ec-  
 clesie Nassovio-Wetteravicæ pag. 544. Genevenses, pag. 554. E-  
 amq; in rem adducunt loca scripturæ varia, utpote *Rom. III. v. 9.*  
*Quid igitur percellimus &c. & 22.* Non est destinatio *1. Corinth.*  
*IV. v. 7.* Quis te decernit? *Ephes. XI. v. 3.* Eramus filij iræ, ut &  
 alij, & v. 8. servati estis ex gratia per fidem, hoc non est ex vobis:  
 est donum Dei, non ex operibus, ne quis gloriatur. Lege, quæ i-  
 bidem fusius habentur. *Rom. V. v. 10.* Eramus inimici &c. ut & ad  
*Titum III. v. 3.* Eramus & nos quondam insensati, rebelles, er-  
 rantes, inservientes varijs cupiditatibus & voluptatibus, vitam a-  
 gentes in malitia & invidia, odiosi, & odio invicem habentes. *E-*  
*phes. II. v. 12.* Mementote vos quondam gentes, in carne fuisse  
 absque Christo, extraneos à pactis promissionis, spem non haben-  
 tes, & sine Deo in mundo. *1. Johann. IV. v. 10.* In hoc est Charitas,  
 non quod nos Deum dilexerimus, sed quod ille dilexit nos: *Et v.*  
*14.* Nos Deum amamus, quia ille prior amavit nos. *Johann. XV.*  
*v. 16.* Vos non me elegistis, sed ego elegi vos. *Roman. IV. v. 7.* Deus  
 vocat, qui non sunt, tanquam si essent: porro urgent dicta *Matth.*  
*VII.* Non novi vos. *Apocal. XIII. v. 8.* *Matth. XXII. v. 14.* Multi  
 vocati, pauci electi. *Roman. IX. v. 7.* Electio obtinuit, reliqui  
 indurati sunt. *Roman. X. v. 19.* Provocabo vos ad æmulationem per gen-  
 tem, quæ non est gens. *Roman. IX. v. 6.* Non omnes qui sunt ex Isra-  
 el sunt Israel: filij promissionis, id est, ex gratia & potente Dei ope-  
 ratione nati per fidem. *Roman. IV. v. 2.* Reputantur in progeniem.  
*Roman. IX. v. 13.* Jacobum amavi, Esavum autem odio habui.  
*Et v. 18.* Miseretur, cujus miseretur, & quem vult, indurat. *Et v.*  
*19.* Dices ergo mihi, quid amplius quæritur? quis resistere potest



*Bremen-* ipsius voluntati &c. *Deut. X. v. 14. Deut. VII. v. 6. Matth. XIII. v.*  
*ses. Emb-* 13. *Act. XIV. v. 16. Psalm. CXLVII. v. 20. Johann. X. v. 26. i. Johann.*  
*dani.* *IV. v. 6.* Præterea idem docent Bremenses pag. 571. Embdani pag.  
597. adduntq; argumentum: Æternæ voluntatis Dei causa non  
potest esse peccatum. At reprobatio est æterna Dei voluntas. Ergo  
ejus causa non est peccatum.

THE S. XXIII. Haftenus ita omnes Synodici Dordrechtani in judicijs exterorum de *absolutâ & simplici reprobatione* unanimiter docent. Nec aliter pronunciant, judicantq; in judiciò provincialium, sed idem omnes ordine statuunt Theologi Belgici, Johannes Polyander, Antonius Thyfius, Antonius Wallæus artic. 1. memb. 2. de reprobatione, antithesi, 1. & 11. pag. 13. Sibrandus Lubbertus ibid. pag. 15. Qui & ipsi conceptis verbis asserunt, causam reprobationis nullam aliam ex sacrâ scripturâ afferri posse, quàm liberrimum Dei beneplacitum.

*Belgici*  
*Theologi.* THE S. XXIV. Quin porrò addunt in Antithesibus, ad totum decretum reprobationis pertinet etiam decretum non revelandi viam salutis, decretum relinquendi in ignorantia, decretum *indurandi*, decretum *excacandi*, decretum odio habendi &c. idq; comprobatur à singulis modò citatis Theologis, & Professoribus Belgicis pag. 25. ibid. Gomarus disertè ait pag. 33. *Causa impulsiva antecedens reprobationis à gratiâ & gloriâ ad justam damnationem est solū liberum Dei beneplacitum*; etsi executionis ipsius seu justæ damnationis causa sit quodvis peccatum. Ita & Zuythollandici adæquatam dicunt causam, cur Deus aliquos non eligendo præterierit, esse solum divinæ voluntatis beneplacitum pag. 80. Noordhollandi palam fatentur, reprobationem & destinationem ad justum odium, itemq; *indurationem soli voluntati divine* adscribendam esse, idq; probare conantur ex *Roman. IX. v. 11. 12. 13.* Esau odio habui, item: quem vult, indurat &c. Addunt insuper: peccatum non posse esse causam desertionis seu non electionis, aliàs hanc ob causam omnes essent absq; exceptione ullâ deserendi, cum omnes sint natura infideles & peccatores, & eadem causa in eodem subjecto eundem semper effectum producat. pag. 87.

*Hollandi-*  
*si.* Zeelandi rejiciunt sententiam remonstrantium, ceu erroneam, quâ

*Zeelandi.*



quâ statuunt, neminem à vitâ æternâ, nec à medijs ad eam suffici-  
entibus, absolutò aliquò antecedaneò decretò rejiciendum esse  
*pag. 95.* Similiter Ultrajectani statuunt: reprobationē esse actū Dei  
*absolutè simplicem*: Causam non eligendi sive non miserendi pec-  
catum non esse, sed Dei beneplacitum, liberrimam ejus volunta-  
tem. Voluntati ejus quis resistit, quem vult, indurat, omnia  
agit ex consiliò voluntatis suæ, Pater ita placuit tibi *pag. 105.* Frisi-  
cæ Ecclesiæ contendunt, ex *Roman. IX. v. 11. 18. 21. & Matth. XI. v.*  
*25. 26. 27,* constare, beneplacitum Dei causam esse, cur Deus quos-  
dam aliis (electis) non indigniores præterierit. *p. 116.* Idem con-  
firmant Transjfulani, adduntq; rationem, quia reprobatio est a-  
ctus Dei internus, æterni & absoluti Dei beneplaciti, qui singulas  
antecedaneas omnes conditiones excludunt, juxta illud Pauli:  
quem vult, indurat. Consentiant Gröningenses, Omlandenses  
*ibid. pag. 140.* Deniq; concludunt Dordrechtani: *absolutam Dei*  
*voluntatem intelligendam esse, non tantum de reprobatione à gratiâ, sed*  
*etiam à gloriâ, sicq; Deum agere secundum jus absolutum, & re-*  
*probationem esse absolutam; quanquam in reprobatione à gloriâ respo-*  
*ctus habeatur ad peccata, & pravitatem reproborum.* Hæc omnia  
ordine in Synodo Dordrechtanâ exsertis verbis proponuntur, &  
in universum ab omnibus ita pronunciantur, statuuntur, com-  
probantur, confirmantur. Quæ judicia tam exterorum quàm  
provincialium Theologorum *ibid. in Synodò session. 146. pag. 413.* ab  
omnibus & singulis consentientibus suffragiis approbantur, ceu  
veritati & confessionibus Ecclesiarum aliarum reformatarum  
(Calvinisticarum) consentanea. Monentur quoq; provinciales,  
ut in hac simplici fidei confessione constanter perseverent. Quod  
& illi promittunt, & pro amabili illo in doctrinâ consensu, tam  
exterorum quàm provincialium, grates aguntur.

THE S. XXV. Hinc ergò evidentissime constat, & ὀφθαλμο-  
φανερῶς patet, Calvinistas in universum omnes hæctenus statuere  
*absolutam reprobationem*, adeò quidem, ut ex merà Dei εὐδοκία, ex  
solò liberrimò Dei beneplacitò accersenda ea unicè sit, sicq; abso-  
lutè & simpliciter plurimos reprobaverit, seu excluderit à gratiâ,  
præterierit, reliquerit in suâ miseriâ, quin imò decreverit ex liberri-



mō & immutabili beneplacitō desertos illos salvificā fide & conversionis gratiā non donare, *ut disertè verbisq; manifestis loquitur Synodus Dordrechtana Cap. 1. de prædest. articul. 15. pag. 343.* Hæc, inquam, unanimes & constans omnium Calvinistarum doctrina est.

THESES. XXVI. Videat igitur Ludovicus Crocius, quā fide, quā conscientiā scribere aufit in disputat. de voluntate Dei: *Causam meritoriam reprobationis statui peccatum*, quasi & Dordracenæ Synodi mens ea fuerit. Certè manifestum in eò committit crimen falsi, cum nequaquam ita doceat dicta Synodus. Novimus equidem, quid in conclusione suæ sententiæ protestetur, se non docere: *Deum nudo puròq; voluntatis arbitrio, absq; omni ullius peccati respectu vel intuitu, maximam mundi partem ad eternam damnationem prædestinasse & creasse.* pag. 376. Item, quod deputati Synodi Gallo-Belgicæ in suo iudicio sub finem pag. 154. conquerantur: mera est calumnia & depravatio nostræ doctrinæ; quando fingitur nos docere: *Deum sine respectu peccati, nudo & absoluto decreto aliquos ad damnationem ordinasse.* Verum (1.) non loquuntur illi de reprobatione seu præteritione, aut exclusione à gratiā, de quā nunc lis tota est, sed de damnatione & destinatione ad damnationem, quam moderni Calvinistæ ita discriminare solent, à reprobatione, ut *istam* quidem sine intuitu peccati factam negent, *banc* tamen omninò absolutam statuunt. Audiatur ipse Molinaeus, quem itidem Crocius d. l. thes. 75. pro se perperam allegat: Sic ille in actis Synodi Dordrechtanæ pag. 401. fatetur, scribitq;: *Etsi peccatum sit causa meritoria destinationis ad penam, non est tamē causa voluntatis, per quam Deus ponit discrimen inter electos & reprobos.* Et paucis interjectis: *In prædestinationis negotio, inquit, est mera Dei eudoniā, quā ei visum est, hos donare Christo, ceteros vero in insitā corruptione, & commeritā maledictione relinquere.* Sic undiquaq; adstruitur merè absoluta reprobatio. (2.) Vanissimum est effugium atq; inane discrimen, quod in vocabulis, *reprobari & destinari ad damnationem*, temerè concipiunt, & nescio, num sine fuco ac fraude obvertatur. Sicuti enim nulla reprobatio est sine prædestinatione ad finem in decreto divino intentum & propositum, sic quoq; nulla prorsus reprobatio sine destinatione ad penam dari



nam dari potest, cum hæc irrefragabiliter dependeat ex ista, eamq; necessario insequatur. Agnoscit hoc ipsum Molinaus, i-  
deò ingenuè scribit in Anatome Arianismi Cap. 13. sect. 16. *Non  
effugeret, qui diceret, reprobatione non destinari homines ad damna-  
tionem, sed tantum præteriri, aut non eligi. Nempe sic quærentur ver-  
ba molliora, quibus eadem res dicatur: Perinde enim est, sive  
Deus destinet hominem ad damnationem, sive id faciat, ex quo  
damnatio necessario sequatur: Quemcunq; Deus non elegit, sive  
omissio dicatur, sive reprobatus, semper est exclusus à gratiâ Dei. Hanc  
exclusionem certa damnatio sequitur, quia sine gratiâ Dei non  
est salus (nec fides, nec ullum opus bonum) Enimvero cum apud o-  
mnes constet, homines electione destinari ad salutem, velim mihi  
dici, ad quid hi non electi & præteriti destinantur. Sanè, si electio desti-  
nat aliquos ad salutem, planum est, hac reprobatione, quæ omissio ap-  
pellatur, ceteros à salute excludi, & ad perditionem destinari. Hæc re-  
ctiss. Molinaus. Adde, sic exclusos à gratiâ Dei, non posse non pec-  
care, ac ruere in quæq; peccata & scelera, in diffidentiam, &c.*

THE S. XXVII. Hæc probè ponderet Crocius, & dispiciat mo-  
dò rectius, quid de absolutâ malorum prædestinatione statuendū  
sit, quidq; inde sequatur. Nimirum qui *absolutè & simpliciter* ex  
mera Dei *evdokia* & immutabili Dei decretò reprobatur, is eò  
ipsò, uti ad pœnas destinatur, sic quoq; ad *causas pœnarum*, sine  
quibus ea justa esse non potest, necessario destinatur, indeq; Deus  
statuitur causa peccati, atq; injustitiæ & inclemetiæ arguitur. Quin  
& ipsa reprobatio seu præteritio & exclusio à gratiâ Dei maxima utiq; pœ-  
na est, miserima perditio, quæ propterea sine gravi ac enormi de-  
lictò præcedaneò justa esse non potest, nec sine crudelitate illis in-  
fligitur, qui reliquis nec sunt indigniores; nec peiores, sed pror-  
sus pares, & ejusdè omninò conditionis. Adde, quod statutâ & factâ  
reprobatione plurimorū hominū, non possint non inde sequi o-  
mnivaria peccata, & nefanda quæq; scelera, cum homo ex se ni-  
hil boni facere possit. *Genes VI. v. 5. Cap. VIII. v. 21. II. Corinth.*  
*III. v. 5. &c.* Si ergo reprobatio illa plurimorum hominum est  
simplex & absoluta, ex absoluto jure in suas creaturas, ex liberri-  
mò Dei arbitrio absolutè & simpliciter facta, uti hætenus Calvi-  
nistæ in



nistæ in genere docuerunt', utiq; & peccata ex eodem Dei decretò eveniant necessum est, nec quisquam ob ea justè puniri poterit. Audiatur iterum iterumq; Molinaus. Sic ille discurret, *d.l. §. 17. pag. 75. Quod si Deus infontem creaturam* ( adde etiam ex decreto Dei labilem, & ideò labilem conditam, lapsumq; hominem, ut per ejus lapsum gloria Dei & justitia declarari possit, uti paulò post §. 19. idem Molinaus decernit, item ut ex desertione animulæ à se creatæ materiam gloriæ quærat, ut supra ex eodem notavimus ) *destinavit ad perditionem necesse est, eandem destinaverit ad peccatum*, sine quò non potest esse justa perditio: Et sic Deus causa erit impulsiva peccati. *Nec homo poterit justè puniri ob peccatum, ad quod est aut precisè ordinatus vel destinatus, aut Dei voluntate compulsus. Enim vero si Deus voluit peccatum, ut medium executionis decreti reprobationis, necesse est, voluerit peccatum, quia peccatum. Nam peccatum non est aliter medium ad executionem istius decreti, quàm quatenus est peccatum.* At vero Deus ex mente Calvinistarum, homines ex divinâ intentione lapsos, destinavit ad perditionem, ad pœnam, ut suam gloriam demonstrare posset, uti hætenus ex Molinao non semel audivimus, & communis ea Calvinistarum opinio est: Sequitur ergo, quod similiter ex mente Calvinistarum ad peccata destinaverit.

THESES. XXVIII. Nunc igitur perpendat Lector, quàm iniqua sit hæc oratio, & abhorrens à Dei bonitate, atq; justitiâ, quâ Deus sic instituitur decernens, & apud se statuens: *Ego has creaturas innocentes, (ex meò decretò lapsos etiam animulam à me immediatè creatam, pro qua & Unigenitus meus filius satisfecit magnoq; pretio emit) reprobò, reprobatione, quâ damnatio aternâ necessario sequetur: Sed ut hæc damnatio sit justa, decerno, ut peccent. Sic enim fiet, ut ob peccata justè damnentur.* Quis non Regem abominetur sic loquentem: *Ego hunc hominem infontem addico suspendio, sed ut justè suspendatur, volo patret homicidium, vel peculatum?* *Hic quidem Rex hominem innocentem non modo faceret miserum; sed & sceleratum, eumq; afficeret supplicio ob crimen, cujus ipse causa esset.* Ex horresco referens. Eat nunc Crocius, & porrò vociferetur: *calumnia, calumnia, pudendum mendacium!* Calvinistæ non



*Ita non in genere, non absolute, non simpliciter ita docent, Verissime postulari omnes tanti intentati criminis, hactenus satis superque demonstratum est.*

**THESES. XXIX.** Unum saltem adhuc annotare placet, quod Synodus Dordrecht, in decisione dogmatum de predestinatione & in declaratione suæ sententiæ, nec non in rejectione errorum, articul. VIII. Ut & passim Synodales, reprobationem describant *per denegationem gratiæ conversionis & fidei salvificæ, per indurationem, excecationem*, quod Deus reprobando homines, ex merâ *evdonicæ* induret, quos vult ex *Roman. IX. v. 8*, quodq; inde nolit dare notitiam mysteriorum fidei ex *Matth. XIII. v. 11. Cap. XI. v. 25. 26*, quod absolute reprobos donare nolit fidei salvificæ & conversionis gratiâ. Hoc utiq; est ad peccata destinare, ut credere non possint, quin nec debeant, quocunq; tandem nomine Reprobatio absoluta pingatur, sive Negativa, sive indefinita, sive comparativa & Respectiva dicatur, semper inde sequuntur modò notata Incommoda & mala. Sed satis de hisce.

**THESES. XXX.** Et Ultima. Quod superest, de nomine *Electio*nis paucula quædam prænotanda sunt, ejusq; ambiguitas dextrè evolvenda atq; explicanda. Variè enim ea vox, ac multipliciter in verbo Dei sumitur, ut & verbum, *eligere, eligi*.

Ac primò quidem latissime & generalissime sumitur, pro *Electio ge-* quavis electione alicujus eximij, grati, atq; probati, ut *Genes. VI, neralissima* v. 2. Filij Dei dicuntur elegisse filias hominum pulchras. Sic Loth elegit sibi Orientem. *Genes. XIII. v. 10.* Item: eliguntur sepulchra. *Genes. XXIII. v. 6.* Jerusalem est Civitas, quam elegit Dominus, ut poneret ibi nomen suum *1. Reg. XI. v. 13.* Rehabeam regnavit in Jerusalem, quam elegit Dominus, ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus Israel *1. Reg. XIV. v. 21.* Confer *Zachar. III, v. 2.* Inde Jerusalem nuncupatur Civitas electionis: Christus vocatur electus Dei. *Esai. XLII, v. 1. Luc. XXIII, v. 35.* Hic est ille Christus, ille Dei electus. Angeli dicuntur electi *1. Timoth. V. v. 21.* Obtestor, inquit Paulus in conspectu Dei & electorum Angelorum. Juvenes electi *Jerem. XLVIII, v. 15.* Laudatur electio filiorum Assur *Ezechiel. XXIII.* Electio Abiatum *II. Reg. XIX, v. 23.* Huc facere videntur,

E



videntur, quando Jehova dicitur eligere jejuniū vel reprobare. *Esai. LVIII. v. 6.* Homines dicuntur eligere bonum, & reprobare malum *Esai. VII. v. 15. Deut. XXX. v. 19.* Sic Maria dicitur bonam elegisse partem, *Luc. X. v. 42.* Sic David elegit viam veritatis *Psal. CXIX. v. 30.*

*Electio ad officium.* II. Electio sumitur specialiter pro segregatione sive destinatione ad functionem, opus, & officium. Sic Reges dicuntur electi, utpote Saul *1. Samuel. X. v. 24.* qui erat Dei electus *II. Samuel. XXI. v. 6.* David *1. Reg. XI. v. 34.* Sic tribus Levitica dicitur electa ex omnibus tribubus, ut constanter ministret in nomine Jehovæ. *Deut. XVIII. v. 5.* Filios Levi elegit Deus *Deut. XXI. v. 5.* Christus elegit duodecim Apostolos. *Johann. VI. v. 70. Johann. XV. v. 16. 19.* Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Ita Matthias eligitur. *Act. I. v. 24.* Stephanus. *Cap. VI. v. 5.* Petrus de se idem testatur. *Act. XVI. v. 7.* Scitis, quod ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, ut per os meum audirent gentes verbum Evangelij, & crederentq; Paulus dicitur vas electionis. *Act. IX. v. 15.*

*Electio in sorte Israelis sive ad Ecclesiam.* III. Electio sumitur pro segregatione hominum in populum Dei, & Ecclesiam, ut utantur ibi, & fruatur medijs salutis, quæ vulgò & à Scholasticis vocatur *electio ad gratiam.* Quo sensu dicuntur electi, quibus Deus revelat mysteria sua in publicò Ecclesie cætu. Sic totus Israel dicitur electus Dei populus, quæ Deo elegit. *Deut. VII. v. 6. Esai. XLI. v. 8. 9.* Ubi Dominus ipse ait de Israele & Jacobo: Servus meus es tu, elegi te, & non abjeci te. Quæ frequentissima est electionis acceptio. *Deut. IV. v. 37.* Deus elegit semen Abraham & posterorum ejus, quod repititur *ibid. Cap. X. v. 15.* Sic ait Dominus *Ezechiel. XX. v. 5.* Elegi Israel. Sic ait Paulus *Act. XIII. v. 17.* Deus plebis Israel elegit patres nostros. Unde laudatur populus electionum *Daniel. XI. v. 15.* Jacob electus Dei *Psal. CV. v. 6.* Genus electum Dei *1. Petr. II. v. 9.* Vos, inquit Apostolus Petrus, de gentibus conversis, estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

Deniq;



Deniq; IV. Specialissimè & propriissimè sumitur pro separa- *Electio ad*  
tione fidelium ad vitam æternam, quæ vocatur electio ad glori- *vitam æ-*  
am. Sic *Marc. XIII. v. 21. 24.* dicuntur abbreviari dies propter *ternam.*  
electos, quos elegit Dominus, uti & *Matth. XXIV. v. 22. 24.* Simi-  
liter *Luc. XVIII. v. 6.* Deus non faciet vindictam electorum suorum,  
clamantium ad se die ac nocte. ? Huc referri solent & illa loca  
*Eesai. LXV. v. 9. 15. 22.* Ubi Dominus de terrâ Canaan ait: hære-  
ditabunt eam electi mei, & servi mei habitabunt, & dimittetis  
nomen vestrum in juramentum electis meis &c. Exultemus ergo &  
glorificemus Deum Patrem nostrum: O Domine Deus noster, Be-  
atus est, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis. Re-  
plebimur in bonis domus tuæ: Sanctum est templum tuum. *Psalm.*  
*LXV. v. 5.* Memêto mei Jehova in beneplacitô populi tui, visita me  
in salute tuâ, ut videâ bonum electorum tuorum, ut læter in læ-  
titiâ gentis tuæ, ut glorier cum hæreditate tuâ. *Psalm. CVI. v. 4. 5.*  
Hæc sunt, quæ de significatione & explicatione terminorum sive  
vocum, in doctrinâ prædestinationis occurrentium, præoc-  
cupare sive prælibare voluimus. Momenta rerum in  
subsequentibus ordine promenda erunt, atq;  
executienda.

## Soli Deo Gloria, in secula seculorum. Amen.

Ad

*Præstantiss. Juvenem*

M. JOHANNEM KRUGERUM,  
Convictorem suum suaviss.  
DE PRÆDESTINATIONE  
disputantem.

*A*rduum opus KRUGERE paras: Sed enim ardua summas  
Contribuunt laudes. Sic quò graviora cientur  
*Prælia.*



*Prælia, nobilior sequitur majorq; triumphus,  
Sublimes anima non inferiora capeffunt,  
Et se digna petunt. neq; enim generosa leonum,  
Progenies timidos lepores, damasq; fugaces;  
Fulmineos venatur apros, claraq; ruinâ  
Maxima taurorum prosternere corpora gaudet.*

*Urge ausus KRUGER Etuos; tibi palma parata,  
Et merces non parva tuum mansura laborem est.*

Augustus Buchnerus.

**B***ella movent alij, vitamq; opponere ferro  
Non dubitant, quò vel rapiant injusta metalla,  
aut id defendant, quod partum cista recondit.  
Sunt terrena, pro interrenâ sorte tenentur.  
At tua mens CRUGERE sequi meliora laborat,  
Quèis scilicet nullus casus valet imperitare.  
Pugnam Philosophum pugnabas acriter antè.  
Postquam nunc hujus retulisti digna brabea,  
Theologiae studium reliquum conjungere censes,  
Quò pellas infestantus sacra dogmata verbi  
Atq; Tibi cedat doctrina larga supellex.  
Hinc jam doctorum scandendo publica nostra  
Adverse partis cunctos confundere tentas.  
Hæ sunt divitiæ, quæ non ludibria sortis  
Fiunt, sed semper comitantur ubiq; tenentem.  
Quas ut conquiras, Et tandem premia captes  
Pro sudore isto mea sunt expectore vota.*

Eximio atq; doctissimo Dn. M. Respondenti hæc bene-  
volentia causa adjicieb.

M. Johannes Richmannus,  
Rigâ-Livonus.

F I N I S,



05 A 450

ULB Halle

3

004 208 994




VD 77











EXERCITATIO THEOLOGICA  
SECUNDA  
De  
**PRÆDESTINA-  
TIONE, AC ELECTIONE**  
FIDELIUM IN GENERE: Nec non  
De  
**Convenientiâ Calvinistarum**  
supralapsariorum, & infralapsariorum,  
*Sub DEI Prædestinantis auspiciò,*  
In Wittebergensium Academiâ,  
**Johanni Crocio cumprimis;**  
tum aliis quoq; Calvinianis opposita,  
&  
ad disputandum publicè proposita,  
PRÆSIDE  
**DN. JOHANNES SCHARFIO,**  
SS. Theol. D. Prof. Publ. amplissimique Collegii  
Philosoph. p. t. DECANO Spectabili,  
*Respondente,*  
**M. JOHANNES Krüger / Rigâ-Livonô.**  
*In auditorio Collegij Veteris.*  
*ad diem 1. Martij horis matutinis.*

---

Literis JOHANNIS HAKEN, M. DC. XLIIX.